Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Recte autem post primas substantias sola omnium ceterorum species et genera dicuntur esse substantie. Eorum enim que predicantur primas substantias sola significant, id est species et genera.

Ordine et convenienter post primas substantias id est individua genera et species secundas esse substantias constitutas monstrat aristotiles. que est firma atque expedita probatio. Aut enim post primas substantias recte genera et species secundas substantias esse nominatas. In diffinitionibus enim uero substantia cuilibet ostenditur. nichil aliud primas substantias esse monstrat nisi genus et species. Socrates namque si quisque quid sit interroget dicitur homo uel animal. Et in eo quod quid sit interrogatur socratem recte hominem uel animal esse respondet. Quare quid sint prime substantie secunde monstrant. Quod si quis preter secundas substantias in interrogatione quid sit prima substantia dicat id alienissime proferetur. ut si quid sit socrates interrogatus aliquis respondeat album uel currit uel aliquid huiusmodi. quod secunda substantia non sit nichil umquam convenienter proferet. si quid de prima substantia preter secundas substantias dicat. Quare quoniam nichil eorum que non sunt secunde substantie quid sit prima declarat. Secunde autem substantie genera et species sunt. recte post primas substantias genera et species dicuntur esse secunde substantie.

Amplius. Prime substantie propterea quod aliis omnibus subiacent. iccirco proprie substantie dicuntur.

Hec quoque de eadem re probatio recte post primas substantias genera et species esse positas uerissima ratione confirmat. Namque individua iccirco prime dicuntur esse substantie. quod aliis cunctis subiacent. Nam quoniam uel secundis substantiis ad predicationem supposite sunt. et de his secunde substantie substantie dicuntur. uel quoniam accidentibus ut possint esse accidentia subduntur. iccirco prime substantie sunt. Et sicut prime substantie cunctis subiacent. sic et secunde. Nam quoniam aliquis homo accidentibus subiacet. et homo et animal accidenti supponitur. Et quoniam est quidam homo grecus id est aristarchus est homo grecus. est animal grecum. Quocirca accidentibus prime substantie principaliter subduntur. Secunde uero secundo loco. Et quemadmodum prime substantie et accidentibus et secundis substantiis subiacent. sic secunde substantie accidentibus supponuntur. sed secunde substantie species et genera sunt. Recte igitur post primas substantias species et genera secundas sub-